Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



57.

dentia rogatus accepit officium. — Profectus ita-
que de civitate Basilea Signatorum exercitus, re-
lictis aliis, stratam illam arripuit, qua per an-
gustos Tridentinae vallis anfractus Veronam duxit,
minori quidem labore, et majori compendio. — post
laborem diuturni temporis portum Aconis tenne-
runt. Ubi etiam ab omnibus celeberrime suscepti
sunt septimo Kalendas Maji. — Abbas Marti-
nus cum alio quodam viro, Conrado scilicet, Adve-
nato de Swarzenberg, navem ingressi sunt Acone,
et in Circumcisione Domini juxta Constantinopo-
lim littora tetigerunt, ubi tum exercitus nostri non
satis laetus agebat. Qui tamen Veneti Druis ani-
matus consilio et exemplo urbem, Alexio Isaaci
filio contra Alexium patruum ejus vindicaturus,
expugnat. Cum ergo victores urbem victam ala-
cribus spoliarent; Martinus Abbas illud agere coepit,
ut de Reliquiis Sanctorum, quorum magnam ibi
sciebat esse copiam, aliquam sibi conferrent poti-
onem. — (Quae autem sint et quante veneratio-
nis illae, quas sibi praedo sanctus manciparit,
Reliquiae, postea competentius exponetur.) Re-
gressus cum thesauro suo in Palaestinam, ibique se-
mestri commoratus, tandem Germaniam versus
aestate navigationis cursum aggressus est. — Post
multos itaque labores et periula non pauca, na-
vis illa Martini vel potius Dei, et Sanctarum ejus
Reliquiarum ad portum Venetiae perducta est in Vi-
gilia Pentecostes. Ubi cum appulisset Abbas, et de statu
urbis satis dissimulanter inquireret, comperit, non mi-
nus periuli et timoris in terra superesse, quam in mari
praeceserat. Totam quippe Italiam per quam citra nitus
erat, in fervore ac strepitu bellorum positam asserebant.
Ipse vero scieas, quia idem Deus potens est in terra et
in mari, et qui eum in mari salvaverat, salvare pote-
rat et in terra; paratis equis sibi et suis sarcinis dese-
rendis, confidenter quidem, sed tamen non absque metu
sollicitudine versus Apes iter arripuit. Cum autem